

/ Admodum illustris, et Reverendissime Domine. Ago gratias Reverendissimae Dominationi Vestrae, quòd mei sit memor, et per epistolam suam, et visitationem nepotis sui me salutare voluerit. Laudes, quas mihi tribuit benignitas vestra, ob scripta mea, qualiacunque si  
5 sint, aperte testantur, quando debeantur laudes majores sollicitudini vestrae: ego enim libris, ut sic loquar, mortuis pugnavi, et pugno adversus haereses; Amplitudo Vestra viva voce haereticos prosternit, et catholicos instruit, et simul exemplo vitae, et morum suorum Ecclesiam aedificat. Proinde mercedem magnam a Domino expectare  
10 potest: qui enim fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Obtuli nepoti vestro operam meam, si qua in re utilem sibi fore judicaverit. Sed usque ad hanc diem nihil a me petiit. Opto Amplitudinem Vestram Reverendissimam bene valere, et prospere in omnibus agere. Romae die 12 Decembris 1615.

---